



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Oculus, Hoc Est: Fvndamentvm Opticvm

Scheiner, Christoph

Freiburg i. B., 1621

Cap. VI. Refractio radij visorij ex aëre in tunicam Corneam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71258](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71258)

usque ad Choroidē penetrat, teste experientiā; siue enim oculum exemptum à dorso denudes, videbis rem quamuis per humores integros. translucens; siue oculum viuum inspicias, transparebit fundus Choroidis: ideoque si radius immissus obliquus est, ad aliquam horum diaphanorum superficiē, necessariò refringitur, ad quam autem rectus accedit, irrefractus penetrat. Quod autem radius obliquus refringatur, patet ex humorum & tunicarum diuersa densitate & naturā, situ insuper excentrico. Et quòd recta illapsus non frangatur, manifesta est demonstratio, aut enim omnino non frangitur, aut quaquaversum, propter angulum incidentiæ quaquaversus rectum; at impossibile est ut quaquaversus refringatur: ergo nusquam. Quales autem obliquorum sint refractiones, accipe paucis, per capita singula.

* Radius ad superficiem e-rectus nō frangitur.

REFRACTIO RADII VISIBILIS

ex aëre in Corneam.

CAPVT VI.

Dicendum breuiter, radiū ex aëre in Corneam tuni-
cam oblique ingressum refringi ad
perpendicularem.

Si tunica Cornea AB, descripta ex centro C, radius ex D puncto, oblique in eius extremitatem allapsus sit DE, punctum incidentiæ E, ad quod egressa CE, esto perpendicularis; quia igitur Cornea tunica densior est ambiente aëre, radius DE, refringitur in Corneā versus perpendicularem lineā EC, & in radium refractionis EF degenerat. Estq; angulus FEC, angulus refractus; & si radius DE recta produceretur intra Corneam, angulus à protracto radio, & refracto EF, contentus, esset refractionis angulus.



REFRA-